

2203

C O D I C E S

2204

Perusii feria quarta Resurrectionis.

DLXXIX.

⁴³⁶ Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 275. 4. per duas columnas non una manu exaratus, rubricisque distinctus inscribitur *De Caritate Statuum*, abiturque in *Partes IV.* videlicet fol. 1. *de Caritate Prelatorum ad subditos*, fol. 117. *de Caritate Subditorum erga prelatos*, fol. 147. *de Caritate Sacerdotis ad plebem*, et fol. 251. *de Caritate Plebis erga sacerdotes.* Coagmentatum Opus e PP. Sententiis, perspersumque piis Historiolis, quarum non semper vadem agere velis. Forma dialogica est, interrogante *Animo*, et *Ratione* respondente. Initium: *Quoniam, ut ait beatus Gregorius, caritas minus quam inter duos haberi non potest &c.* Finis vastae tractationis: *Insinuat quod per eorum doctrinam ieiuna corda cottidie sunt pasceda. Hec glossa.* Autoris, qui e Praedicatorum vel Minorum familia fuisse videtur, nomen detegere non potui. De Patria illius fortasse ex eo conjicias, quod fol. 271. p. 2. scribit. *Quedam nobilis domina et deuota in austria uidit ex ore predicantis exire flammam ignis quasi de fornace.*

DLXXX.

²⁵⁶ Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 446. f. currente calamo scriptus per duas colum-

nas, et olim conuentus wienens. fratrum ordinis predicatorum In Austria. donatus eidem per Venerabilem patrem. fratrem Petrum de Chirchschlag ante suam professionem quam fecit in die Penthec. Anno domini 1457. ut habetur ad calcem fol. 2. et fol. penult. continet Farraginem Opusculorum, quae enumeranda sunt, postquam observauero, Donatorem nostrum ipsummet successu temporis evasisse Scriptorem; extat enim ejus *Collectura ex diversis Doctoribus super Passionem Domini*, impressa s. l. 1487. 4. Id, quod *Echardus* in *Scriptt. O. P.* scire auebat, quem etiam latuit *Petrum* Conuentus *Wienens.* alumnum fuisse, oppidumque ejus natale in *Austria* non *Kyrzslacken*, ut deformatum ab aliis nomen acceperat, sed *Kirchschlag* scribendum esse. Vide *T. I.* p. 858.

I. *Tractatus*, ut ex calce transcribo, *bonus qui et Cordiale dicitur tractans de quatuor nouissimis scilicet de morte temporali, de iudicio extremo, de penis inferni et de gaudio regni celestis Egregij et eximij doctoris. Magistri Heinrici de Hassa sacraeque Theologie professoris. In alma Vniuersitate Wienens. editus.* Incipit: *Memorare nouissima tua &c.* Sicut dicit *Beatus Augustinus* in libro suarum meditationum &c. et finit: *ac nouissima prouiderent.* Typis editum Opusculum sub *Artis* initia s. l. et a. 4. In *Cod. uno Mellicensi* de Autore dubitatur, in *Claustroneoburg.* tribuitur